

Ferreum & minata seclum reddet auro proximum,  
Pauca priscae pauca fraudis suppetent vestigia,  
Quae Thetin tentare remis, quaeque muris addere  
Valla, vicinosque cogent parietes distingvere.  
Triste proscriptis migrabit cum Sororibus Nefas,  
Velque Sarmatas, vel ultra barbaras Thracum plagas  
Ibit. Ecce, jam recedit, ecce vasa colligit.  
Mitte neniam, atque laeto, Musa, subfili pede.  
Ecce jam promittit orbi Diva Coruncanios,  
Ecce leges condituros regias Papinios,  
Aeliosque Claudiosque Porciosque & Scævolas,  
Serviosque, Aquiliosque reddit, & Massurios.  
Tanta in uno quae putares mortua esse nomina;  
Tanta surrectura cerne in bis duobus nomina.  
Nunc Sophi cessabit esse proprium Sempronio  
Nomen, & Trebatianae desinet Cascellius  
Invidere, & hujus ille desinet peritiae.  
Se videbit limo uterque victum utrumque lumine.  
Mitte neniam, atque laeto, Musa, subfili pede.  
Ipsa mutato tuenda Diva vultu sistitur,  
Squalidos perosa pannos, cincta Lauro tempora,  
Latius candente laxos cincta Carbaso finus.  
Ipsa desertos priori reppetens anno Lares  
Jam situm exutos novaque splendidatas gratiam,  
Se secutas, quando abibat, se sequentes, dum redit,  
Spem, Fidemque caeterumque laeta virtutum chorum  
Fulgidum & papaveratis candicantem vestibus,  
Mutuisque colligatum nexibus, post se trahit.

Mitte